



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. viij. De circulo & regressu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Vocatur *indemonstrabilis*, propter eandem causam. Vocatur *principium primum*, & *proximum*, quia est causa proxima à qua pendet veritas conclusionis. Vocatur etiam *per se nota*, ut mox patebit. Immediata secundum quid, siue respectu conclusionis, est illa, quæ probari quidem potest per aliquid prius, non tamen per aliquid, quod intercedat inter ipsam, & conclusionem, quando scilicet est causa immediata prædictæ conclusionis; sic enim probari potest à priori, ut quando risibile probatur de homine per admirativum, est propositio immediata secundum quid, quia admirativum est immediata causa risibilis; sed tamen potest probari per aliquid prius.

Propositio
immediata
secundum
quid, quid
sit.

Propositio
immediata
secundum
quid dup-
plex.

Obserua tertio, propositionem immediatam secundum quid esse duplicem: alia est actu immediata, quando medium est causa immediata prædictæ conclusionis, ut admirativum respectu risibilis; alia est virtualiter immediata, quando facile potest deveniri ad causam immediatam, ut discursivum respectu risibilis non est causa immediata, cum inter hæc duo intercedat admirativum, quamvis facile possit quis devenire ad causam immediatam, eo quod nullum interiaceat subiectum inter risibile, & discursivum. His positis,

Ratio cur præmissæ demonstrationis à priori sint immediata aliquo modo, est quia non quiescit intellectus donec videat causam, per quam res est: sed causa, per quam res est, est causa proxima: ergo intellectus non quiescit in demonstratione donec videat causam proximam.

Ratio.

Ratio cur sufficiant propositiones immediate secundum quid, & virtualiter, est quia demonstratio, quæ probat tertiam passionem per primam, v. g. risibile per discursivum, est vera demonstratio: sed hæc est immediata tantum secundum quid, & virtualiter: ergo non exigitur ut sit actu immediata.

Assertio bi-
partita:

Dico secundo, Præmissæ demonstrationis à priori perfectissimæ sunt per se notæ secundum naturam: præmissæ autem cuiuscunque demonstrationis à priori non sunt necessariò per se notæ, etiam secundum nos.

Propositio
per se nota
quid sit.

Obserua primo, propositionem per se notam illam esse, quæ ex solis terminis cognoscibilis est, & non est cognoscibilis per aliud à priori: nihil autem obstat, quominus à posteriori possit probari, imò & per reductionem ad impossibile. Esse igitur propositionem per se notam, est non esse aliquid prius, per quod tanquam per causam demonstretur: hæc autem propositio duplex est, altera est per se nota secundum naturam, altera secundum nos. Per se nota secundum naturam, illa est, quam definitivius, quæ scilicet ex propriis terminis, si illi ex propriis rationibus cognoscantur, apta est assensum evidentem extorquere sine prævio discursu. Causa verò cur ita sit per se nota, est identitas terminorum, qui propterea si cognoscantur, statim sequetur assensus evidens. Hoc modo per se nota sunt omnes propositiones simpliciter immediate, seu indemonstrabiles, in quibus prædicatum est de essentia subiecti. Propositio per se nota nobis ea est, cuius termini sunt noti, & penetrati; ideòque assensum extorquent sine discursu prævio, licet secundum naturam suam possint demonstrari à priori, v. g. *Ignis est calidus*; & huiusmodi sunt quæcumque sensibus percipiuntur. Hanc divisionem propositionis per se notæ pluribus impugnat Scotus cum sua scola, contra sanctum Thomam *prima parte, quæst. secunda*, quem tuerentur omnes Interpretes ibi; sed omnino de

A nomine quæstio est, ut bene ostendit Valsq. *disp. decimasexta.*

Obserua secundo, dari veras propositiones obiectivas per se notas secundum se, & alias per se notas secundum nos; quia propositio, in qua prædicatum est de essentia subiecti est cognoscibilis per se sine discursu; si enim prædicatum idem significet, quod significat subiectum, propositio est cognoscibilis ex solis terminis: sed si prædicatum sit de essentia subiecti, prædicatum idem significat, quod subiectum: ergo si prædicatum est de essentia subiecti, propositio est cognoscibilis ex solis terminis. Quod autem detur propositio per se nota quoad nos, clarum est, quia illa, quæ sensibus percipiuntur, non egent ullo medio, per quod probentur; sed statim se ingerunt sensibus.

Conclusio
bipartita.

B Neque dicas cum Scoto, non posse eandem propositionem evidentem esse, & obscuram: sed propositio per se nota secundum se, & non secundum nos, esset evidens, & obscura: ergo nulla est propositio per se nota secundum se, & non per se nota secundum nos. Concedo enim maiorem, & distinguo minorem: sed si aliqua propositio sit per se nota secundum naturam, & non secundum nos, erit evidens & obscura, si sit propositio formalis, siue mentalis, concedo; si sit obiectiva propositio, nego. Eadem enim entitas est de se cognoscibilis ex terminis, licet à nobis non cognoscatur; ideòque non sequitur, eundem conceptum esse obscurum & evidentem; sed eundem conceptum, qui est verè confusus, ex sua natura talem esse, ut possit esse distinctus. Ex his

C Ratio primæ partis est, quia propositiones demonstrationis potissimæ continent necessariò causam intrinsecam, quæ nulla est prior: ergo sunt per se notæ secundum naturam; non sunt tamen necessariò per se notæ secundum nos, quia possunt probari à posteriori, & per causam extrinsecam.

Prima pars
probat.

Ratio secundæ partis est, quia si risibile demonstratur de homine per admirativum, propositiones non erunt per se notæ secundum naturam, poterunt enim probari per aliquid prius, videlicet per differentiam constitutivam hominis.

Secunda
pars probatur.

SECTIO VIII.

De circulo, & regressu.

Circulus, & regressus demonstrationis sæpe usurpat Philosophus, & tamen fusè impugnat, præsertim hic textu vigesimo secundo, contra veteres, qui asserbant principia demonstrationis posse mutuo demonstrari per eandem demonstrationem demonstratam ex eis. Videndum igitur est, quomodo nec à seipso discedat Philosophus, nec à vero: quod ultimum de demonstratione, & actuali scientia querendum restat.

Opinio ve-
terum circa
principia.

E Dico primo. Circulus demonstrativus propriè dictus, qui distinguitur à regressu, est semper inutilis, & reiiciendus.

Assertio af-
firmans.

Obserua primo, circulum in communi significare duas demonstrationes, quæ constant iisdem terminis; ita ut quod est prædicatum in prima, sit medium in secunda, & è contra: ut si dicam, *Omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis*. Deinde verò, *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*. Vbi vides quasi reditum à secunda demonstratione ad primam. Nam *risibile*, quo d

Circulus
quid signifi-
cet.

quod in prima demonstratione est medium, prædicatum est in secunda; & rationale, quod est medium in secunda, est prædicatum in prima. Definiri ergo potest in communi circulus: *Est duplex demonstratio iisdem terminis constans, quarum prima probat secundam, & secunda primam.*

Circulus quot modis contingat. Obserua secundò, posse circulum vniuersim sumptum contingere quatuor modis. Primò si ambæ demonstrationes sint à priori in eodem genere causæ, id est si medium primæ sit v. g. causa efficiens secundæ, & medium secundæ causa efficiens primæ, vt si dicas, *Regi iubemur parandum est: sed Rex iubet parare legi: ergo legi parandum est.* Deinde verò vt probes maiorem, si dicas, *Legi iubemur parandum est: lex iubet parare Regi: ergo Regi parandum est.* Hic progressus est semper circulus vitiolosus, & reiiciendus, quia causæ non possunt esse inuicem causæ in eodem genere causæ, vt in Physica demonstratur. Secundò, si ambæ demonstrationes sint à priori in diuerso genere causæ, id est si medium primæ v. g. sit causa efficiens prædicati secundæ: prædicatum autem secundæ sit causa finalis huius medij: v. g. si dicas, *Ille, qui haurit medicinam, amat sanitatem: Petrus haurit medicinam: ergo amat sanitatem.* Deinde verò, *Ille, qui amat sanitatem, haurit medicinam: Petrus amat sanitatem: ergo haurit medicinam.* Tertiò si ambæ demonstrationes sint à posteriori, vt si flebile probes per risibile, & risibile per flebile. Quartò, quando prima demonstratio est à posteriori, secunda verò à priori, vt, *Omne risibile est rationale, &c. Omne rationale est risibile: omnis homo, &c.* Hæc de circulo in communi, qui est quasi genus ad circulum propriè dictum, & regressum propriè dictum.

Obserua enim tertiò, circulum propriè dictum in eo distingui à regressu propriè dicto, quod in circulo termini secundæ demonstrationis non cognoscantur nisi per primam, & sumantur eodem modo, quo sumuntur in prima: in regressu autem termini secundæ demonstrationis sumantur diuerso modo, & non cognoscantur tantum per primam, sed per medium examen mentis, id est, vel per sensus & experientiam, vel per explicationem terminorum, vel per alios discursus intermedios. **Circulus** ergo propriè dictum sic defines: *Est duplex demonstratio, qua ignotum probatur per aquè ignotum, & idem per idem; id est, in qua termini primæ demonstrationis non cognoscuntur nisi per secundam, termini autem secundæ non cognoscuntur nisi per primam; vt, Regi parandum est, quia lex iubet: legi parandum est, quia Rex iubet; quod semper contingit, quoties duæ demonstrationes sunt à priori in eodem genere causæ. Quo modo autem definiatur regressus propriè dictus, dicetur postea. Nunc sensus conclusionis est, quoties termini secundæ demonstrationis non sunt noti nisi per primam demonstrationem, & sumuntur eodem modo in vtraque, tunc circulus est inutilis, & reiiciendus, in quo post Aristotelem conueniunt omnes Authores mox citandi.*

Ratio primi. Ratio est primò, quia si utilis, & possibilis esset circulus ille, in quo secunda demonstratio non cognoscitur nisi per primam, sequeretur idem esse notius, & ignotius respectu eiusdem propositionis; quod est absurdum. Probo sequelam. Præmissæ demonstrationis sunt nobis notiores quàm conclusio: sed eadem propositio eodem modo cognita est conclusio & præmissa, si detur circulus: ergo eadem propositio erit notior, & ignotior conclusione.

Secunda. Secundò idem probaretur per idem, quod est in R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A utile, & impossibile; id est idem probaretur per se ipsum; si enim A, cognoscatur per B, quatenus cognitum per ipsum A: ergo A, cognoscitur per ipsum A. Et si eadem notitia præmissarum causatur ex eadem notitia conclusionis, quam causat: ergo eadem notitia causatur à seipsa. Nugatorius est igitur omnino circulus, in quo termini secundæ demonstrationis non cognoscuntur nisi per primam, quia est inutile cognoscere ignotum per ignotum, & idem per seipsum. Alias Aristotelis rationes omitto, ne in re clara sim longior.

B Dico secundò, Regressus propriè dictus, in quo termini secundæ demonstrationis sumuntur alio modo, quàm in prima, neque sunt noti tantum per primam, sed per medium examen mentis, est utilis & amplectendus; si autem non intercedat medium examen, est impossibilis, & reiiciendus. Ita omnes communiter post Aristotelem, & Theologi, qui accuratè in materia de fide regressum explicant, inter quos eximie Valentia 2. 2. disp. 1. & fusè in *Analysi*. Albertinus 10m. 1. princip. philosoph. corollario 4. dub. 1. Zabari. tract. de regressu. Dandini. 1. de anima, digressione 12.

C Obserua primò, regressum propriè dictum ita definiri: *Est duplex demonstratio iisdem constans terminis, qua progredimur ab vno genere notitia ad aliud, medio examine intellectus.* Potest autem habere vel duas demonstrationes à priori in diuerso genere, vel duas à posteriori; vel vnam à posteriori, alteram à priori, qui solus est regressus maximè propriè dictus, & ad omnes scientias vtilissimus; cum scilicet à cognitione effectus progredimur ad cognitionem causæ, & à cognitione causæ regredimur ad cognitionem effectus, à quo cœpimus; ei enim ferè soli datur nomen regressus, cæteri minus frequenter, & minus propriè sic appellantur. Imò à multis reiiciuntur, sed malè; sufficit enim ad verum regressum, si termini aliter cognoscantur in prima demonstratione, quàm in secunda, quod in aliis omnibus potest contingere: v. g. si duæ demonstrationes sint à priori in diuerso genere causæ, termini sumuntur diuerso modo. Item si vtraque demonstratio sit à posteriori, vel vna à priori, & altera à posteriori, termini primæ demonstrationis erunt tantum noti confusè, siue imperfectè; termini autem secundæ cogniti erunt distinctè: quod diligenter nota.

E Obserua enim secundò, regressum propriè dictum præter duas demonstrationes, quas habet, sicut circulus, habere necessarid præterea operationem quandam mediam, quæ antecedit secundam demonstrationem, & sequatur primam; vocarique solet *Examen mentis*, seu *inquisitio*, & *negotiarium intellectus*. Quam operationem sic defines: *Est operatio, qua distinctius cognoscitur aliquod medium, vel penetrando significationem terminorum, vel comparando illorum definitionem, vel discurrendo circa naturam causæ, & effectus.* Nam cum regressus in eo distinguatur à circulo, quod in circulo termini secundæ demonstrationis non sint cogniti, nisi per primam, eodemque modo cognoscantur quo cogniti sunt in prima; in regressu autem termini secundæ demonstrationis non cognoscantur tantum per primam, ne idem probetur per seipsum, debet in regressu dari aliqua operatio, per quam termini secundæ demonstrationis cognoscantur aliter, quàm in prima. Illa operatio vocatur *examen*, quia per illà examinamus diligenter significationem terminorum, vel naturam causarum, & effectuum; idèque potest esse vel nuda apprehensio

Afferio secundæ.

Regressus propriè dicti definitio.

Regressus quid habeat.

apprehensio terminorum, vel vnus discursus aut plures, ita vt ante illud examen medium secundæ demonstrationis, quod cognitum est in prima demonstratione, cognoscatur tantum confusè; post illud autem cognoscatur distinctè, quod vt capias,

Modi alicuius rei cognoscenda.

Obserua tertio, ex Zabar. lib. de regressu, cap. 4. posse rem aliquam cognosci duobus modis: primò confusè, secundò distinctè. Cognitio confusa rei, est qua cognoscimus entitatem rei alicuius, non cognoscendo quid sit causa, vel effectus. Cognitio distincta est cognitio causæ in ratione causæ, vel effectus in ratione effectus, v.g. si cognoscam entitatem rationalis non cognoscendo quid sit causa risibilis, cognoscam rationale confusè; si verò cognoscam rationale esse causam risibilis, cognoscam distinctè rationale. Si cognoscam entitatem risibilis, non cognito quid sit effectus rationalis, risibile cognoscam confusè. Si verò cognoscam esse effectum rationalis, cognoscam distinctè. Difficultas ergo est, quomodo intellectus, qui in prima demonstratione cognouit terminos solum confusè, transeat ad cognitionem distinctam mediij, quam habet in secunda demonstratione; quod dico fieri per medium illam operationem, quam vocauit examen mentis: quod antequam probem,

Status controuersia.

Effectus quomodo notior sit causâ.

Ordo regressus faciendi.

Obserua quartò, effectum quemlibet nobis notio-rem esse confusè, quàm causam, id est secundum existentiam, non tamen sub ratione effectus, quia effectus propiores sunt sensibus, ac proinde prius percipiuntur esse, quàm percipiantur eorum causæ; causam tamen notio-rem esse distinctè, quàm effectum, quia prius est cognosci causam esse causam, quàm cognosci effectum esse à tali causa. Vnde sequitur hoc ordine fieri regressum. Primò sensibus percipitur aliquis effectus, cuius ignoratur causa; v.g. cognoscitur respiratio in omnibus terrestribus animalibus, non autem in aquatilibus. Deinde in omni animali terrestri videri esse pulmones; vnde primam format demonstrationem à posteriori: *Omne animal, quod respirat, habet pulmones: atqui omne animal terrestre respirat: ergo habet pulmones*, in qua demonstratione cognoscitur causa per effectum; pulmones scilicet per respirationem; sed vtrumque confusè cognoscitur, ita vt in ea demonstratione intellectus nec videat pulmones esse causam respirationis, nec respirationem effectum esse pulmonum. Sequitur postea examen, per quod accuratè intellectus respicit officium, figuram, materiam, meatum pulmonum; quæ omnia cum respiratione comparat, videtque omnino pulmones esse causam respirationis. Quo peracto examine statim hæc secunda sequitur demonstratio à priori: *Omne quod habet pulmones, respirat: omne animal terrestre habet pulmones: ergo omne animal terrestre respirat*. In qua demonstratione intellectus quiescit, cum habeat perfectam cognitionem effectus, & causæ. His positis,

Ratio prima.

Ratio cur regressus medium habens examen sit utilis, est quia in eo semper minus notum probatur per aliquid notius in certo genere notitiæ; nam termini secundæ demonstrationis aliter cognoscuntur, quàm termini primæ. Neque sequitur, idem probari per idem; nam v.g. B, demonstratur per A, non quatenus A, est cognitum per B, sed alio modo; & sic cognitio ipsius B, pendet ex seipsa; nam termini secundæ demonstrationis cognoscuntur per medium examen, non autem tantum per primam demonstrationem: ergo non est absurdum & impossibile facere regressum.

Secunda.

Secundò si regressus esset impossibilis; omnis scientia à priori esset impossibilis; nulla enim est

causa, quæ non innoscat per effectum prius cognitum: sed si regressus sit impossibilis, non licebit transire à cognitione causæ per effectum ad cognitionem effectus per causam: ergo nunquam cognoscetur effectus per causam, id est nulla erit demonstratio à priori. Præterea nullo modo fidei rationem reddi posse asserunt Theologi, nisi detur regressus; si enim aliquis à te petat, quomodo scis Deum esse primam veritatem reuelantem, respondebis, quia Ecclesia dixit. Rursum si rogeris, quomodo scis Ecclesiam esse, bene respondebis, quia Deus prima Veritas dixit; neque tamen erit circulus vitiosus, sed verus & utilis regressus; nam in prima quæstione cognoscitur velut à posteriori Deus reuelans, qui est causa principalis, per Ecclesiam, tanquam per instrumentum posterius, & nobis notius: in secunda verò cognoscitur effectus, Ecclesia scilicet, per veram causam, scilicet per primam Veritatem reuelantem, quæ est ratio formalis assensus. Quæ ratio formalis potest quidem cognosci per aliud à posteriori, sed non per aliud à priori; cognoscitur enim tantum per se, atque ita si interroget, quomodo scio Deum dixisse, Ecclesiam esse; respondebo: Per ratio-rem formalem à priori, & hæc nulla est præter hanc, *Quia dixit*. Si autem petas rationem à posteriori, facile respondebo, *Quia Ecclesia dixit; quia miracula id testantur; quia fidei antiquitas, & propagatio id persuadent*. Sicut in regressu scientiarum maior secundæ demonstrationis non probatur amplius à priori, sed accipitur tanquam nota ex terminis, & à posteriori probata.

Obiicies primò. Impossibile est aliquid esse notius & ignotius: sed in regressu idem est notius & ignotius: ergo regressus est impossibilis. Minor probatur, quia præmissæ sunt notiores, & conclusio ignotior: sed in regressu idem est præmissa vnus demonstrationis, & conclusio alterius: ergo idem est notius, & ignotius.

Respondeo, nego minorem, ad eius autem probationem distinguo maiorem: Præmissæ sunt notiores, & conclusio ignotior, quatenus præmissæ sunt præmissæ, & conclusio est conclusio, concedo; quatenus conclusio est præmissa secundæ demonstrationis, est ignotior, nego. Vnde secundò distingui clarè potest maior primi argumenti. Non potest aliquid esse notius, & ignotius in eadem demonstratione, vbi sumitur eodem modo, concedo; in diuersa demonstratione, vbi sumitur diuerso modo, nego.

Obiicies secundò. Non debet aliquid probari per seipsum: sed in regressu idem probatur per seipsum: ergo regressus est impossibilis. Probatur minor: si secundæ demonstrationis negetur maior, non poterit probari nisi per primam demonstrationem: ergo idem probabitur per seipsum.

Respondeo, nego minorem: ad probationem autem nego antecedens; si enim negetur maior secundi syllogismi, non probabitur per primam demonstrationem, sed ex sola terminorum explanatione, eo quod sit quasi per se nota & indemonstrabilis, maxime cum intercesserit medium illud examen mentale, per quod etiam probari posset illa maior, si probatione indigeret.

Obiicies tertio. Non potest in secunda demonstratione cognosci effectus distinctè, nisi causa cognoscatur distinctè ante secundam demonstrationem: sed causa non cognoscitur distinctè ante secundam demonstrationem: ergo in secunda demonstratione non potest effectus cognosci distinctè. Probatur minor: si ante secundam demonstrationem

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

nem causa cognosceretur distinctè, cognosceretur etiam ipsius effectus: sed non cognoscitur eius effectus: ergo causa non cognoscitur distinctè.

Satisfit.

Respondeo, nego minorem; nam quamuis per primam demonstrationem causa cognoscatur solum

A confusè, per medium tamen examen mentis cognoscitur distinctè; neque tamen perfectè cognoscitur eius effectus, nisi per secundam demonstrationem: unde ad probationem minoris neganda est maior.



PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ LIBER SECVNDVS.

PHILOSOPHIA NATVRALIS,

SIVE PHVSICA.

Ad vniuersæ Physicæ Aristotelis libros Acroamaticos.

PROLOGVS.



ATVRAM corpoream vniuersam, Philosophiæ partem eximiam, & pabulum animi longè iucundissimum tradere nunc aggredior, præteruectus sentes, & spineta omnia Dialecticæ, & ingressus in hortum pulcherrimum, iuxta & amœnissimum scientiæ Physicæ, quæ omnem complectitur doctrinam corporum, & totam speculatur visibilium rerum formam, sola ea cognoscens, quæ cerni oculis possunt, & plura videns in illis, quàm videre oculus possit. *Illam nimirum scientiam est (vt eleganter ait Synesius) quæ defossum in homine mentis oculum, sola eruit in lucem, vt purus ab omni cæno in Deum omnium effectorem desigere possit aciem, & perspicue latentem in creaturis pulchritudinem eius conspiciere.*

Est enim *ænigma sit rerum æternarum & immortalium, ac veluti oppansum æternitati velum*, tota hæc rerum vniuersitas, complexioque rerum corporearum (vt meditatur Tert.) sed reducto tamen in eam sipario attentius intuentibus æterna manifestat, & inuisibilia oculis cerni, ac propè manibus teneri facit. *Mundum hunc videlicet vniuersum S. Maximus, apud Cyparisi. decad. 10. appellat symbolum quoddam & inuolucrum Opificis Dei, sub quo latens vt videt omnia clarissimè, ita subobscurè solum videri potest. Sed nomina esse ac intelligentias inuisibilis Dei, omnia hæc, quæ conspiciamus, meritò asserit S. Dionysius: expressas eius similitudines, & tersissima specula, Gregorius Nazianz. Neque tantum umbram & fulgorem vltimum luminis eius, vt plerisque visum est Philosophis, inquit Ambros. lib. 1. Exham. cap. 3. sed insigne quoddam & gentilitium schema, totam referens essentiæ præstantissimæ ac omnium primæ nobilitatem.*

In hoc igitur speculo, in hoc ænigmate, in hoc schemate sic intueri assuesce (mi Lector) miracula gestientis naturæ, vt oculos ab Authoris, quem celat, decore ac specie non auertas: *Vnde fiet, vt sapienter monet Picus lib. 7. Heptapli, vt natura tibi fiat gratia rudimentum, & illius scientia inchoatio religionis ac sanctitatis.*



PRÆLVDIVM.

De obiecto, natura, & partibus
Scientiæ Physicæ.

Nomen
Physicæ.



PHYSICÆ nomen à Græca, vt patet, origine deductum, satis indicat illam esse scientiam rerum naturalium, idest contemplationem, speculationemque naturæ. Tullius sanè Physicum appellat naturæ speculatorem, & venatorem; quamuis video Platonem vtiurpasse nomen hoc paulò latius lib. de Monarchia, pro tota specula-

trice Philosophia. Comparat enim Philosophiam totam hortu, cuius sepem ait esse Dialecticam, arbores Physicam, fructus Moralem. Damasc. verò initio suæ Physicæ, cap. 1. videtur Physicam pro tota etiam sumere Philosophia, cum sic eam definiat, *Est eorum, quæ sunt, quatenus sunt, cognitio; est humanarum, atque diuinarum rerum scientia; est mortis mediatio; est Dei imitatio; est ars artium, & scientia scientiarum.* Sed hæc vtrique acceptio latior est, & minus propria, quia iuxta veram & communem omnium sententiam Physica significat scientiam & contemplationem rerum corporearum, tum in communi, tum in particulari; de qua scientia præmittenda breuiter tria sunt: primò, quale sit obiectum eius, tum materiale, tum formale: secundò, qualis habitus illa sit: tertio, quas in partes diuidatur.